
4.

VIRENTIS SOCIETATIS MON. MET: BREVIS RELATIO.



AMSTELODAMI
ANNO MDCCXXXXIX.





Homo ad ſocietatem naſcitur & ad illam cum ſuo genere ineundam atque colendam propenſione naturae ſuae fertur. Solus enim vitam degere nequit & ſe ipſum non niſi ope aliorum conſervare poteſt; quia ſine hac periculis expoſitus, neceſſariis ad vivendum rebus deſtitutus & commoditatibus atque deliciis omnibus ſemper privatus exiſteret. Ideo ſummus GROTIVS aliique cum illo primum juris naturae principium ſocialitatem poſuerunt, eo quod omnes ſua natura cum maximo inſtinctu trahuntur ad conſortium inter ſe ineundum, & inde a primordio in multifarias ſocietates ſe contulerunt, ut vivant vitam ſecuram at-

que jucundam, neque vita esset taedium & ipsa morte tristior. Exinde ortae sunt familiae, gentes, civitates, respublicae aliaeque societates innumerabiles. Quo autem arctior est societas, eo majori continetur securitate, gratia atque constantia. Arctissima autem est illa, quae inter amicos constituitur. Haec enim non vi, sed amore continetur, ex quo fit, ut officia mutua non coactione, sed sponte ex interno instinctu & cum summa quadam delectatione impleantur. Quantos vero habeat fructus amicitia vera, certa atque infucata, dicere difficilius est, videre clarius, at dulcius experiri. Quam sit necessaria nemo est qui nescit, ita ut non aqua, non igni pluribus locis utamur quam amicis. Est autem illa, ut CICERO quidem inquit *de Amicit. cap. VI.* omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentia & caritate summa consensio; h. e. consensus animorum & actionum atque bonorum necessaria ac jucunda communicatio. Hinc opportunitates, quas vera haec atque perfecta, non vulgaris illa,

ami-

amicitia habet, ſunt infinitae. Tales enim amici abſentes adſunt, egentes abundant, imbecilles valent, in proſperis amicorum rebus gaudent, in adverſis dolent, in neceſſitatibus ſuccurrunt, in dubiis conſilium dant, in periculis auxilium ferunt, opes communicant, voluptates augent, ſecreta noſtra reticent, in ſolitudine dant ſolatium, in negotiis juvant, in injuriis defendunt, in adverſis refugium praebent, nec in periculis deſerunt. Talem inter ſe colunt amicitiam ſinceram, veram atque certam, MON. MET. ſocietatis ſocii praeſentes & abſentes, quae ſumma fide nititur, atque juſtitia & conſtantia conſervatur. Et quia hae virtutes, quae unicum fundamentum eorum amicitiae conſtituunt, non ad certos regionis terminos alligantur, neque cum una gente conjunguntur, neque certae nationi aut religioni propriae ſunt, neque cum certo hominum ſtatu cognationem contraxerunt, ideo etiam haec ſocietas in ſeligendis membris ſuis nullum habet reſpectum gentis, aut nationis, aut religionis, aut cujuscun-

 que

que hominum ſtatus, ſed ex omnibus illos tantum adoptat ubivis terrarum, qui ſunt juſti, prudentes, conſtantes, & fide ſuper reliquos mortales eminent. Perſoluto itaque pretio ad ferenda ſocietatis onera leviori recipiuntur in conſortium qui digni habentur, ex more ſolito, ita ut ad fidem ſocietati praeſtandam ſub vinculo religionis ſe obligatos pronuncient. Adſtringuntur praeterea tribus votis ad obſervanda officia neceſſaria, utilia & excellentiae hominis prae ceteris digna, quae nimirum ſunt: *Promiſſis ſtare & datam fidem ſervare;* porro; *Ab omni fraude alienum eſſe;* & denique, *Derelictis ab omni humano auxilio opem ferre neceſſariam.* Vota enim ſunt media admonendi officii ſui aptiſſima, quo ipſo omnes, qui Deum timent, attenti redduntur ad actiones ſuas, ne contra id, quod voverunt, impingant. Praecipua & ſingularia Societatis cum tempore & per gradus innoteſcunt, & quidem illis aperiuntur, qui incorrupta fide probantur; illi contra, qui violata fide juſtitiam laedunt atque ab offi-

ciis

ciis ſuis ſine ſpe emendationis diſcedunt, aliquoties fruſtra admoniti iterum removentur, & inita ſolvuntur coniunctione. Diſtinguuntur Societatis huius membra ſymbolo quodam, quod *Prudentia, Amore atque Experientia* abſolvitur, atque diſſita ac ignota ſibi invicem certis ſignis quoque fiunt cogniti. Quod vero praecipuum eſt, per intimam quam excolunt amicitiam cooperantur omnes ad optimum obtinendum finem, qui eſt ſui & aliorum hominum cognitio. Student interiora ſui intueri tanquam in ſpeculo externam corporis formam, & per hoc vitia dediſcere per media, quae in promtu habent, nec non virtute, fide atque veritate ſuperare reliquos. Cognitio aliorum hominum illis maximos affert fructus per totam vitam. In id enim operam collocant, ut ſciant diſcernere homines, bonos a malis, probos ab improbis, fideles ab aſtutis, veraces a mendacibus, prudentes a ſimplicibus, ſapientes a ſtultis, & in hunc finem occulta cordis revelare norunt. Intelligunt enim characteres humano corpori

impres-

impreſſos & ad legendas ſcripturas animum applicant in fronte ac facie cujusvis exaratas, quibus intimae cordis propenſiones revelantur ab invitis, & produnt nobis quae quis egit, & quid acturus eſt, quid amet, & quid odio habeat, quo delectetur, & a quo abhorreat, cujus rei capax, & cujus incapax ſit. Judicant ſocii de actionum humanarum eventu bono & malo. Praeſentia diſcernunt & futura praeſpiciunt, atque praevident, quid ex uno quoque negotio enaſci poſſit. Eo ipſo autem intima verae ſapientiae clauſtra rumpunt & ad occulta rerum abditaque negotia penetrant.

Adſcribuntur initia hujus Societatis JOSEPHO Iſraelis filio, qui maximus occultorum revelator extitit in Egypto ſecundus a rege factus. Propagata fuit haec ſapientia in ſuis poſteris, inter quos Rex Salomon ſumma ejusdem cognitione inſtructus praedicatur, ut etiam avium ac aliorum animalium voces intellexerit; Sap. VII. v. 20. 21. Regina de Saba ad tentandam ejus ſapientiam inter alia pueros & puellas uno veſtitu induere juſſit, quos autem moribus ſtatim in lavandis manibus diſcernebat. Diu latebat haec ſocietas, ſed revivixit demum, & in Germania quoque innotuit; & licet omnem oſtentationis ſpeciem effugiat & in deliciis potius habeat cancellis includi onerosa amplitudine haud infirmis, ut eo tutius deliteſcat; aequum tamen viſum fuit membris, praeſentem nunc ſui notitiam facere, ad evitanda ſiniſtre divinantium judicia, & ad calumnias male volentium removendas feliciter.

